


**S**icut sol dicatur pater omnium planetarum: Ita Papa sit pater omnium dignitatum: **S**icut Luna recipit lumen à Sole ita imperialem dignitatem à Papa. Bonifacius 8. jubebat antea se in Jubilæo proclamari alta voce: Ego sum Papa, & Cæsar, cœlestis & terrestris Imperii dominium habeo. Ideò etiam altero die in publicum procedens gerebat clavem, altero verò duos evaginatos gladios. Julius Papa in Concilio Romano patiebatur sibi à patribus acclamati: **Tu es omnia, & SUPRA OMNIA.** Omnis potestas tibi data est in cœlo, & in terra. Hoccine est, discere à Christo mitem esse, & humilem corde? **Quid, quod Alexander 3. Fridericum Barbarosam publicè Venetiis pedibus conculcavit, & Cælestinus Heinrico 6. Imper. coronam Imperatoriam pedibus, non manibus imposuit, & evestigio iterū è capite pedibus projecit. Hoccine est, Discere à Christo mitem esse & humilem corde?** **Hæc, Hæc nimirum est illa insolentia, hominis illius scelerati, Filii, inquam, illius perditionis, qui se se opponit, & effert adversus omne, quod dicitur aut Deus, aut Numen; adeò ut in templo Dei tanquam Deus sedeat præ se ferens se esse Deum. Quem tu ò Domine confice, Spiritu oris tui, & illustri adventu tuo abole!** *vid. 2. Thess. 2. 3. 4. 8.*



## EVANGELIUM IN FESTO DIE Bb. APOSTOLOrum Philippi & Jacobi, Joh. 14.

v. 1. ad 12.

### ARGUMENTUM.

*Munde vale, Christus via vera, patrisque videndi  
Est speculum, precib[us] sic patet aula Dei.*

i. **N**É turbetur cor ve-  
trum; Creditis in  
Deum,

**M**ὴ τρέπεσθαι υμῶν ἐ<sup>γ</sup>  
νηστία. Πιστεῖτε εἰς τὸν  
Θεόν